



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Visio Theodori Episcopi Darnæ de eodem Beatissimo Leone. Capvt CXLVIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

posuerit eam super tumulum principis Apostol. Petri, & orationib. ac vigilijs, & ieiunijs vacans, orauerit ipsum summum Apostolum dicens: Si quid vt homo, vel minus cautè posui, vel etiam omisi, tu, cui à Domino Deo, saluatore nostro Iesu Christo, & sedes hæc, & Ecclesia commissa est, emenda. Post 2 quadraginta verò dies apparuit ei Apostolus oranti, & dixi ei: Legi, & emendauit. Sumensq; epistolam de sepulchro beati Petri, aperuit eam: & inuenit Apostolica manu emendatã.

1 Nota Orationibus ac vigilijs, & ieiunijs vacans.

2 Vide in quanta etiam olim veneratione sanctorum sepulchra habebantur, & quantam potestatem habeant Sancti post mortem.

Visio Theodori Episcopi Darnæ de eodem Beatissimo Leone.

CAPVT CXLVIII.

Theodorus sanctissimus Episcopus Darnæ ciuitatis, quæ in Libya est, narrauit nobis, dicens: Cum essem cubicularius sancti Papæ Eulogij, vidi in somnis virum reuerendi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuncia meum Papæ Eulogio, aduentum. Ad quem ego: Quis es domine qui iubes, vt nunciem? Respondens ille dixit mihi: Ego sum Leo Romanus Pontifex. Ingressus igitur ego nunciaui dicens: Sanctissimus, & beatissimus Papa Leo Romanæ sedis antistes conuenire vos vult. Cum hoc audisset Papa Eulogius, exurgens concitus cucurrit in occursum eius. Salutantesq; se inuicem, oratione facta, resederunt. Tunc verò diuinus, & eximus Leo dixit sancto Eulogio: Scis, quare huc venim ad vos? Respondit ille: Non. Ait ipsi: Veni, vt vobis gratias agerem, quia rite, & magnificè

pro Epistola mea respondistis, quam scripseram ad fratrem meum Flavianum Constantinopolitanum Patriarcham, sensum quidem & sententiam meam aperientes, hæreticorum autem obstructuantes. Scito autem, frater, quia non mihi tantum vestrum diuinum laborem, studiumque contulistis, sed etiam supremo culmini Apostolorum Petro, & ipsi præ omnibus, quæ à nobis prædicantur, veritati, quæ est Christus Deus noster. Illa non semel tantum, sed bis terque conspicies, trinitate apparitione firmatus, enarraui sancto Papæ Eugenio. Qui cum audisset, lachrymatus est, extendensque in cælum manus suas, Deo gratias retulit dicens: Gratias tibi ago, dominator Christe Deus noster, quia cum indignus sim, veritatis tuæ præconem me facere dignatus es, & per¹ orationes seruorum tuorum Petri, ac Leonis, paruum, & modicum alacritatem nostram, tanquam duo videlicet minuta, summa, & ineffabili benignitate tua suscipere dignatus es.

¹ Ergo Sancti pro nobis orant post mortem.

Stupenda relatio Amos Patriarchæ Hierosolymitani de sanctissimo Leone Pontifice Romano.

C A P V T. CXLIX.

CUM descendisset Abbas Amos Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes monasteriorum eremi Abbatibus, ut adorarent eum, inter quos affui & ego cum Abbate meo. Cœpitque Patriarcha dicere patribus: Orate pro me, patres. Magnum enim onus, & intolerabile mihi iniunctum est sacerdotique dignitas me terret immodicè. Petri enim, & Pauli, & similium est regere rationales animas: ego autem infelix